2718. Illustrissimo & Excellentissimo 1

Domino Comiti Rasoumofski Acad. Imper. Scient.

Prœsidi ornatissimo, & Ordin. plur. Equiti &c.

Humphredus Sibthorp Botanices Professor Sherardianus Oxoniensis

S. P. D. 42.

Cum nuper Londini essem, Dominum Taubert Academiæ nostram inter alia peregrinantibus notatu digna æstimata visurum Amicorum suasu neque invitus salutavi: mihi vero infelicitas pro Sermonis Gallici desuetudine, & Linguæ Latinæ pronunciatione dissimili, ut Colloquio pro urbanitate & doctrinâ ejus desideratissimo nimis parum fruerer: satis vero ab eo intellexi; quod Litteræ & bonæ artes, non minus quam arma, & Imperium augustissimæ Imperatricæ curæ sint, & præsertim sub Tuo patrocinio Præses ornatissime, affulit Academiâ, & inter maximas etiam gravissimasq. Curas pro Salute Russiæ negotio minoris momenti non negligis non deest enim Horti Honos, indies magis magisq. Scientiarum accessio fiat, ut immensum fere Imperium non minus litteratum, quam amplum bonarum Artium Cultores exhilaret, foveatque.

Custos sum Horti annis superioribus Morisoni Bobartij Dillenij aliorumq. curâ non parum instructi, Collectanea etiam celebriora Sherardi, Botanicorum clarorum non minus insida adminicula adsunt, absq. autem Commercio ditissimus Hortus cito pauper erit. Tua quæq. fert Tellus, & Imperium Russicum plurimas plantas Botanicis nostris nondum cognitas continet. Carachana Burato-Mogolis, & perpaucæ aliæ Ammani Curâ & Amicitiâ pulchre nobiscum florent; plures autem autoritate Tuâ ostentat Oxonium si Commercium quod Dominus Taubert Tibi & Academiæ Tuæ haud ingratum esse mihi persuasit, recte foret institutum, quale cum perillustri Marchione Ginori Liburni, Botanicis Italicis, Hallero cæterisq. habeam suavissimum

11 Angulus Terræ nostræ licet admodum parvus præ Cæli tamen Temperie & Soli fœcunditate forsan nulli secundus plurimas Stirpes dat. Mercatura etiam nostra cum Indis, & fere quâ patet orbis, Hybernacula adornat. Scias autem volo, me vehementer cupere Tibi, & Academiæ in omnibus quæ mihi imperaveris morem gerere, & quicquid pro modulo meo vel in Synonymis enodandis, vel Stirpibus expediendis perhonorificæ Expectationi Sherardi, vel Botanicis respondeam id mihi volupe foret, & ut id facilius assequar, uti desidero, occasiones facias, ut habeam frequentes, & plurimas: A provinciis nostris Americanis borealibus & occidentalibus Semina Superiorum Jussu collecta anno proximo expectem, qualia sunt, participabis, si velles; cum enim fœdere conjunctissimo Copiis Russicis Campus noster superbiat; non minus Russicis Sibiricisq; Delectamentis cum Pacis artibus Horti mutuus Honos floreat.

Sub finem Januarij Seminum fasciculum Reverendi Domini Dumaresque Curæ Celeberrimo Gmelino consignatum commendavi, eum autem Tubingæ commorantem nuper audivimus. Ecce! autem Seminum quadringentorum fasciculum alterum, Excellentiæ Tuæ, Domini Taubert suasu inscriptum partim ab Indiis, & alibi communicatorum, maximâ vero ex parte nobiscum annuatim vegetantium, quorum recens Collectio si minus raritas ea Horti Professori commendet: & ab his nostros annuorum defectus deprehendat. Si hæc grata sint, proximo anno sequentur reliqua annua flore papilionaceo, Biennia, & Perennia dicta, & qualiacunq; desiderat Hortus, si penes me, & calleam

Catalogum Stirpium e Floræ Leydensis prodromo exscripta mihi & aliis communicavit Dominus Taubert, sed præ Angustiâ Temporis eum non mihi licuit satis attendere, ab iis forte redditus major, quibus Systema Royenum maxime arridet; Anglici Methodum Raianam ut plurimum sequuntur sed quælibet sua habet Commoda, & dicam incommoda; utinam unicum Systema maxime naturale Botanicis certum existat Exemplar. Singulæ enim innovationes artem satis gravem aggravant; porro etiam improbus Labor Semina singula

separatim distribuendi & describendi sine adjuncti auxilio cum aliis seriis negotiis medicis tempus nostrum totum insumpsit; sed minime ingratus si Tibi inserviet spero tempestivè satis pro reditu Sponsoris nostri ad Hortum adveniant neque Spes me fallat, quod Floræ nostræ decus & ornamentum vel Pinaci Sherardino auctarium credas, Benignitate Tuâ non diu procrastinari.

Stirpes Sibiricæ, Tartaricæ Persicæ Japonenses & affines nobis sunt rariores; et inter alias rarissimes Thea, Rabarbarum verum, Ribes Arabum, quæ anno præterito perierunt, vobiscum vigeant audivi: Horum Semine vel Specimina imprimis erunt acceptissima. Speciesque Abietum Pinuum aliarumq Arborum plantarumq quæ Usui vel Ornamento sunt maximè desiderantur. & quæ foro medico vel oeconomico dignari meruerant, si Labor non nimius Botanicis Professori ita indigitentur; Duratio etiam Locusq natalis unde Cultura invenienda erit an cælum nostrum ferant an Calidarij fotum tepidiorum requirant; has leges quantum mihi concessit Tempus, observavi. hoc jure rectè instituatur Commercium Botanicum, Numerum numero pro penu nostro rependam, & Tibi, illustrissime Domine, obsequium & Observantiam meam imprimis voveo, & quicquid in me est, offero; quapropter si hoc acceptum habeas. Botanico Academico vestro commendare poteris; Qui alicui Mercatori Petropolitano vel D.no Dumeresque pro humanitate suâ Academicis amico, ut suis Correspondentibus Londini commorantibus transmitteret, vel Doctori Cromwello Mortimer R. Societatis Londinensis Secretario pro Horto meo consignandum, vel aliorsum uti fert Occasio; superaddidi etiam tria Exemplaria Catalogi desideratorum Plantarum quæ spero Botanicis sub ditione vestrâ tradas, Hortiq Petropolitani Præfecto verbis meis plurimam salutem dicas, rogo, & mihi uti Academico faveas, ac ut Tuo utaris

Oxonii decimo quarto Calend Martij
A. CIƆ IƆCCXLIX.